

Fedorov N.A.

Conventus omnium gentium Latinis litteris linguaeque fovendis Bucurestiis MCMLXX a die 28 mensis Augusti ad diem 3 mensis Septembri

[Stable URL: <http://elar.uniyar.ac.ru/jspui/handle/123456789/3572>]

[Публикация работы:]

Fedorov N.A. 1973: Conventus omnium gentium Latinis litteris linguaeque fovendis Bucurestiis MCMLXX a die 28 mensis Augusti ad diem 3 mensis Septembri // Вопросы классической филологии. Вып. V / А.А. Тахо-Годи, И.М. Нахов (отв. ред.). М., 228-239.



НАУЧНО-ОБРАЗОВАТЕЛЬНЫЙ
ЦЕНТР АНТИКОВЕДЕНИЯ
ЯРОСЛАВСКОГО ГОСУДАРСТВЕННОГО УНИВЕРСИТЕТА
ИМ. П.Г. ДЕМИДОВА
ЯРОСЛАВЛЬ, РОССИЯ

THE SCIENTIFIC & EDUCATIONAL
CENTRE FOR CLASSICAL STUDIES
AT YAROSLAVL DEMIDOV STATE UNIVERSITY
YAROSLAVL, RUSSIA

DAS WISSENSCHAFTLICHE FORSCHUNGS- UND STUDIENZENTRUM
FÜR DIE GESCHICHTE,
KULTUR UND RECHT DER ANTIKE
DER STAATLICHEN DEMIDOW-UNIVERSITÄT JAROSLAWL
YAROSLAVL, RUSSLAND



РОССИЙСКАЯ АССОЦИАЦИЯ АНТИКОВЕДОВ
RUSSIAN SOCIETY OF CLASSICAL STUDIES



НАУЧНО-ИССЛЕДОВАТЕЛЬСКИЙ И ОБРАЗОВАТЕЛЬНЫЙ ФОНД
«ЦЕНТР ИЗУЧЕНИЯ РИМСКОГО ПРАВА»
ЯРОСЛАВСКИЙ ФИЛИАЛ
THE RESEARCH AND EDUCATIONAL FOUNDATION
“THE CENTRE FOR ROMAN LAW STUDIES”
YAROSLAVL BRANCH



ЯРОСЛАВСКИЙ ГОСУДАРСТВЕННЫЙ УНИВЕРСИТЕТ
ИМ. П.Г. ДЕМИДОВА
YAROSLAVL DEMIDOV STATE UNIVERSITY

**CONVENTUS OMNIUM
GENTIUM LATINIS LITTERIS
LINGUAEQUE FOVENDIS
BUCURESTIIIS MCMLXX A
DIE 28 MENSIS AUGUSTI AD
DIEM 3 MENSIS SEPTEMBRI**

Anno MCMLXX a die XXVII mensis Augusti ad diem III mensis Septembri Bucurestiis, capite rei publicae Socialis Dacoromaniae Conventus omnium gentium Latinis Litteris linguaeque fovendis habitus est. Hic conventus fuit iam quintus post primum congressum Avenione anno 1956 habitum. Conventum Avenionensem secuti sunt Conventus Lugduni 1959, Argentorati 1963, et denique Romae (1966) habiti. Horum omnium conventuum moderatores ad id praecipue operam navarunt, ut lingua latina rediviva fieret, instrumentumque communicationis inter populos. Hoc proposito Conventuum particeps lingua latina orationes commentationesque suas dicere invitabantur. His in conventibus finem sibi propositum, ut scilicet lingua latina rediviva fieret, affectantes, particeps praecipue de novis linguae docendae viis rationibusque, de novo pronuntiandi modo, (ut scilicet una eademque pronuntiatione institueretur, eo magis, quod in variis terrae regionibus pronunciationis modi valde inter se discrepantes erant), de conditionibus linguae latinae docendae in variis civitatibus disserebant.

Conventus Romae habitus, primus fuit extra Francogalliae fines, satisque plurimos sodales ex omnibus terrae partibus allicuit, satisque varia erant argumenta, de quibus hoc in congressu disputabatur, quamquam hoc in congressu quoque de variis rationibus linguae latinae docendae disputabatur. Congressu Romano Academia Latinitati inter omnes gentes fovendae, cuius membra viginti sex nationes repraesentant, condita est. Unionem Sovieticam hac in Academia prof. Borovsci J. M. repraesentat. Huic Academiae inter cetera curae fuit locum tempusque Conventus decernere. Constitutum est ut hic Conventus anno MCMLXX Bucurestiis haberetur.

Itaque hora decima ante meridiem die Veneris XXVIII

mensis Augusti in aula Universitatis Bucurestiensis sessio auspicata inaugurata est.

Ad Conventum plus quam ducenti sodales ex XVI terrae regionibus convenerunt. Quamquam multi eorum, qui nomina sua protulerant, venire variis de causis non potuerunt, tamen inter conventus participes haud pauci eminentissimi philologi classici conspicari poterant, inter quos nominare possumus clarissimum philologum Polonum acad. K. Kumaniecki, doctissimos viros K. Büchner, V. Pöschl, W. Schmid, R. Schilling, V. Paladini, J. Mir aliosque. Huius conventus constituendi consilio praesidebat clarissimus professor Universitatis Bucurestiensis N. Barbu.

Sessioni auspicali affuerunt, maioremque ei dignitatem gravitatemque addiderunt Ioannes Georgius Maurer, Moderatorum Reipublicae Socialis Dacoromaniae Consilli Praeses, Mircea Malita, Institutionis Publicae Moderator. Ioannes Georgius Maurer allocutionem inauguralem habuit, in qua de bonis Latinae culturae humanitatisque, ipsius linguae Latinae, «quorum impressa magnopere sentitur apud homines nostrae aetatis, non solum in Europa, verum in omnibus continentibus orbis terrarum» diserte tractavit. Dixit enim inter cetera «Inter omnes constare Europae culturam magnamque partem culturae universalis non existere potuisse, si opera culturae litterarumque Latinarum non fuissent, quae summa bona saeculis labentibus maxima vi ad humanae societatis progressum alendum valerent». Moderatorum Consilii Praeses adicit deinde: «Hae victoriae, quas scientiae technicae instrumenta obtinuerunt, ut homines magis magisque natura potiantur, imperant, ut homines humanitatem colant, quae his conditionibus amplior altiorque fit... Cum bona Latinae culturae humanitatisque labentibus saeculis sint fontes, ex quibus homines maximi ingenii, populi culturaeque hauserint, certissimum pignus habemus haec bona iura amicitiae inter omnes homines, nullo discriminе adhibito, esse posse».

Tum acad. K. Kumaniecki, in studiorum Universitate Varsoviensi professor, solita ingenitaque ei eloquentia, qua omnes fere Latine loquentes, mea quidem sententia, superat, ita, ut haud immerito «Cicero Polonensis» cognominatus est, nomine alienigenarum; qui conventus participes erant, cives urbemque salvere iussit.

Hoc loco velim interponere omnes conventus sessiones, tantum lingua Latina habitas esse. Si praecedentibus conuentibus, eoque Romano, nonnullae orationes (non dico de his, qui in utramque partem disputabant) linguis vernaculis dicebantur, Conventu Bucurestensi nulla oratio, nulla commentatio, nulla interventionio, nulla in utramque partem verba nisi lingua latina dicta sunt. Quin etiam recreationis interquiescendi tempore, in perigrinationibus, in theatro sodales praecipue lingua Latina in colloquiis suis utebantur.

Prima sessione luculentissima eloquentissimaque oratio Nicolai Barbu exaudita est, qua oratione eminens investigator monstravit, quae sint summa bona culturae Latinæ, quid sit in sempiternum tempus humani in his bonis.

Sessione inaugurali peracta, Conventus ad reliquas materias sibi propositas disserendas tractandasque se convertit. Jam ex ipso oratorum orationumque ordine liquit, quam magna fuerit varietas argumentorum, de quibus auctores orationum commentaryumque disserebant. Longum sit fortasse omnes enumerare oratores orationesque, eo magis, quod aliqua mihi memoria exciderunt, satis erit, si summa tantum attigero breviterque argumenta nonnullarum tantum protulero.

Non omnes, ut iam ante dictum erat, venire potuerunt, itaque multae orationes, eaeque maximi momenti habitae non sunt, quod factum maxime condolendum est.

Primo die de cultura humanitateque Latina disputatum est. Doctissimam ~~maximam~~ momenti orationem «De Latina humanitate in «De Legibus» Carolus Büchner dixit, in studiorum Universitate Friburgensi professor, excellens subtilisque investigator litterarum Latinarum. Sua oratione demonstrare conatus est iure posse quaeri, num forte liber «De legibus» primus notionem totam humanitatis contineret et describeret, «quamquam vox humanitatis ipsa hoc in Ciceronis opere vix occurreret. Nam etsi concedendum est humanitatis vim esse urbanitatem et clementiam nec sine amore litterarum, nunc satis constat eam arctissime coniunctam esse cum iure. Itaque cum primo libro «De legibus» ius a natura, id est, a lege derivetur, non potest fieri, ut natura ab humanitate distinguatur». Carolus Büchner monstrat coniunctionem humanitatis atque iuris sententiam ipsius Ciceronis esse, qui perfecta natura intellecta, quam difficile sit alteram in-

turam vincere, sciat, quamquam neccessarium ad salutem generis humani et dignitatis hominis. Dein Alanus Michel, in studiorum Universitate Sorbonensi professor de Latina humanitate in Rheticis Ciceronis doctissime disseruit. Dixit inter cetera Ciceronem hominen homini conciliare velle, dum eius universam vim in perfecta quaerenda oratione comprehendenderet, quia dicere nihil aliud esset, nisi comprehendere. Id factum eo maioris momenti est, quod hodie multi sunt qui negent humanas mentes vel inter se colloqui vel universam vim sapientiae haurire posse. «Itaque», — dicit, «dum multi nostris temporibus de humanitate simul desperant ac de litteris, Ciceronem sequi possumus, qui litteras humanitate ita fundaverit, ut utrumque studium unum fecerit». Post eum Constantinus Grollios, in studiorum Universitate Thessalonicensi professor, de Graeca humanitate in Ciceronis philosophicis libris orationem habuit, qua in oratione monstravit Ciceronem plura ex Platone, etiam plura ex traditione Platonica hausisse. Quam ob rem, quoniam posteriores fontes Ciceronis amissi sunt, consequens esse videtur, ut viri docti conferant Ciceronem cum his Platonicis notionibus.

Utilem doctamque orationem de iure humanitateque Latinis Czillag Paulus, in studiorum Universitate Budapestiensi docens habuit; qua in oratione conformatioinem ideae humanitatis Latinae, progressum humanitatis Latinae monstravit. Dixit enim cogitationem humanitatis peregrina stirpe ortam suum nomen et proprium vocabulum ab Italia duxisse. Conceptionem philanthropiae in se continere moralem, intellectualem et ad artem educandi pertinentem sententiam philosophiae Hellenisticae, quae ponat primo loco aestimationem pretii naturae et personae hominis. Tum orator monstravit, quas partes in explicatione humanitatis egissent multi illustrissimi viri Romani, inter quos P. Terentius Afer, C. Lucilius, M. T. Cicero aliquique, asserens humanitatem Latinam in actione versari et utilia inter se comparare cum speculatione Graeca, vehementerque commovere iuris Romani emendationem. Postremo tractavit, quomodo humanitatis genera aetatibus distinguerent, de conflictu et collisionibus humanitatis gentilis et christinae, de mutatione significationis humanitatis in iure Romano.

Sequenti die de Latinitatis vi in culturis, litteris artibusque vernaculis constituendis tractatum est. Victor

Pöschl, in studiorum Universitate Heidelbergensi professor, quid Germania ad Latinam culturam provehendam fecisset, doctissime luculentissimeque enarravit, dixitque tantum saeculo nostro viros eruditos ad poetas latinos, ut poetas, philosophos, ut philosophos interpretandos se vertisse: Diutius iam Germanici philologi libros latinos ut fontes solum librorum Graecorum, qui interierant, considerabant, Plautum, exempli gratia, ut fontem comicorum Graecorum, Ciceronem ut fontem philosophorum aetatis Hellenisticae. Nostris autem temporibus viri docti scriptores Latinos eorum ipsorum causa legere cooperant atque iis quoque rationibus uti student, quae ad litteras recentiores explicandas inventae sunt.

Wolfgangus Schmid, in studiorum Universitate Bonnensi professor de Lucretio in Germanis litteris XVIII—XIX saeculorum tractavit, exposuitque quam viam novam ad Lucretii poema, non tam ipsam doctrinam, quam imagines eam depingentes respicientem Goethe, eminentissimus poeta Germanorum invenerit.

Quantum Latinitas, quantum Graecitas ad Germanorum culturam provehendam valuisse, in oratione sua Ioannes Irmscher, in studiorum Universitate Berolinensi professor monstravit. Non esse negligendum,—asseverabat,—, quantum Romani culturam Germanorum provexit. Nam ex temporibus antiquissimis multa testimonia cultus atque humanitatis Romanorum inventa sunt; non solum vici, oppida, artificum opera, sed etiam nomina locorum atque notiones ad agriculturam pertinentes, necnon ad civitatem.

Non minoris momenti erant orationes virorum doctorum Dacoromanorum de Latinitatis vi in cultura Dacoromana constituenda. Demetrius Pacurariu, in studiorum Universitate Bucurestensi professor in oratione sua monstravit, quantum Latinitas ad litteras Dacoromanas constituendas valuisse, evocans multos scriptores Dacoromanos saeculorum XVII—XVIII exempli gratia Mironum Costin, Demetrium Cantemir, quorum in operibus impressa styli Latini perspicua sunt. Ad recentiora tempora transgressus dixit scriptores Latinos multum ad litteras Dacoromanas constituendas valuisse, praesertim ad classicum, qui in Dacoromania tamen aetatem distinctam in

in ceteris nationibus, non novit, sed cum romantismo de dignitate certavit.

De humanitate Latina apud Basiliū Alecsandri, scriptorum eminentem Dacoromanum Florin Popescu, in studiorum Universitate Bucurestiensi docens, disseruit.

Ovidio in litteris Dacoromanis oratio Nicolai Baran in studiorum Universitate Jasensi docentis consecrata est. Attigit in oratione sua multas fabulas populares Dacoromanas, de exultatione Ovidii fictas, dein de prima, eaque antiquissima versione operis Ovidii «Hecatombe sententiarum Ovidianarum Germanice imitatarum» (1679), a Valentino Frank von Franckenstein elaborata; de translationibus imitationibusque operum Ovidianorum (Fastorum, Ponticorum, Metmorphoseon librorum) Mironi Costin, eiusque filii Nicolai Costin, de multis scriptoribus Dacoromanis, maximeque de Demetrio Cantemir, qui in operibus suis multum Ovidii carminibus usi sunt, de variis translationibus operum Ovidii in sermonem Dacoromanicum a compluribus scriptoribus undevigesimi saeculi factis, denique solemnem illam celebrationem Bimillenii Ovidii anno millesimo nongentesimo quinquagesimo septimo memoravit. De humanitate Latina apud Michaelem Eminescu Cicero Poghirc in Universitate Bucurestiensi professor docissime disseruit Conventusque participes edocuit Michaelem Eminescu strenuum linguae litterarumque Latinarum fautorem fuisse, saepissime in operibus suis sententias fragmentaque versuum latinorum inveniri, complures versus poetarum Romanorum, Lucretii, Horatii. Ovidii ab eo mira arte Dacoromaniae translatos esse. Memoratu dignum est, quod in fine vitae suae poeta eminentissimus Dacoromanus omnes disciplinas in gymnasiis Latina lingua docendas censuit.

Dein de Latinis litteris aetatis Mediae Renatarumque litterarum tractatum est. Splendidissimam, eloquentissimamque, mira histrionali arte recitatam, ita ut aliquis orator Romanus ex rostris coram populo dicere videretur, orationem habuit Ricardus Avallone, in studiorum Universitate Salernitana professor, in qua lucidissime monstravit, quantum Latina lingua a Media usque ad nostrum aetatem floruisse floretque. Non modo aetatem, dixit, quae ex humanis renovatis litteris, et illam, quae ex renascentibus nominata esset, sed ipsam medium aetatem non obscuram atque barbaricam, sed splendidam illust-

remque fuisse, quippe quae Graecitatis et Latinitatis monumenta studiose servavisse et tradidisse («Nihil enim aetas renatarum litterarum invenisset, nisi media aetas servavisset»), quippe quae et nova opera condidisset, multosque egregios auctores dedisset. «Haud dubio media aetas aetatem humanarum et renatarum litterarum praeparavit». Non extinctae litterae Latinae et posterioribus saeculis documento sunt tales scriptores ut Comenius, Baco Verulamius, Thoma Hobbes, Cartesius, Lockius.

De litteris Latinis Mediae aetatis Franciscus Barone, Latinarum litterarum doctor Napoli, disseruit, praecipue de proprietatibus ipsius huius temporis linguae, monstravitque linguam Latinam scriptam Madiae aetatis esse «sermonem doctum» quo uterentur praesertim sapientes. Contra eum est lingua Latina «rudis», quo loquitur populus, sed nondum «sermo vernaculus» et qui saepe appetet in media Latina lingua docta. P. C. Eichenseer, «Vocis Latinae», commentariorum lingua latina in Germania occidentali editorum moderator, de Germanorum usu mediaevali linguae Latinae tractavit. Dixit in oratione sua non solum studia theologiae, philosophiae, litterarum in Germania temporibus medii aevi latine gesta esse, sed etiam artes magis practicas, ut mathematica, medicina, chemia, mineralogia, artificum et opificum variae artes, omne genus annalium et vitarum, epistolas, diplomata et cetera similia fere innumerabilia, qua consuetudine usque linguae Latinae copia verborum indigentiis novis dimidio fere aucta esset.

Vir doctus americanus Henricus C. S. Schnur, Stamfordiae, in Civitatibus Foederatis Unitis professor, de Germaniae aetatis renatarum litterarum Latinitate doctissimam eruditissimamque orationem habuit, in qua aliquot specimina linguae Latinae medii aevi aetatisque renatarum litterarum protulit, hisque exemplis demonstravit, quam radicitus Latinitas Germaniae brevissimo temporis spatio (exeunte saeculo XV) in melius reformata esset. Id hoc facilis efficaciusque fecit, quod Conventus participes textus latinos machina scriptos in manibus habebant, itaque consultare poterant.

Sessio specialis Vergilio, eiusque vi in litteris artibusque vernaculis constituendis consecrata erat, qua sessione orationes habuerunt Traianus Costa, in studiorum Universitate Bucurestiensи docens, qui de Vergilii vi in Da-

coromanis litteris constituendis tractavit, Rudulfus Verdière, Buxelliensis Officii scientiarum studiis provehendis socius, de Vergilio apud Andream Gide desserens, Eduardus Coleiro, in studiorum Universitate Malitiae professor, de Vergilii vi in recentibus epicis carminibus creandis, Kasimirus Kumaniecki, in studiorum Universitate Varsoviensi professor — de Vergilio in litteris Polonis. Traianus Costa memoravit versus Vergilii iam inscriptiōnibus Sarmizegetusae inesse. Post renatas litteras sexto decimo saeculo Vergilium discipuli in scholis Transilvanis legebant, eodem tempore elegiae Virgilianis frustulis refertae scribebantur (Sommer). Saeculo duodevigesimo ineunte eruditissimus illorum temporum philologus Stephanus Bergler Transilvanus Vergilio operam dedit. Saeculo unodevicesimo multi poetae Dacoromani versus Vergilii in lingua Dacoromanicam vertunt.

Eduardus Coleiro monstravit oratione sua, quid scriptores epicī a media aetate usque ad hodiernum diem de Virgiliana arte epica exceperint, nempe quid sibi Provinciae scriptor de Rolando Cantus, quid apud Italos Dante, Boiardus, Puloius, Ariovistus, Tassus, sumpsisserint, quid apud Lusitanos Comoens, quid per Britannos Milton, quid apud Francogallos Voltarius.

R. Verdière pugillaria Andreae Gide investigavit, in quibus fere cotidie per sexaginta annos poeta Francogallus scripsit, ex quibus manifestum est, qua singulari amore scriptores classicos hic amaverint. Paginam per paginam harum pugillarium recitans, orator demonstravit Andream Gide ab ultimis annis primi belli ad extremos annos vitae suae «Aeneida» ferventissime lectitasse, ipsumque dixisse «Aeneida» tres aut etiam quattuor horas cotidie legisse.

In sua doctissima luculentissimaque oratione K. Kumaniecki Vergilii fata in litteris Polonis pertractavit. Dixit enim inter omnes poetas Latinos maximam sane auctoritatem apud Polonos Vergilium sibi conciliavisse. Jam saeculis XV et XVI in Universitate Jogellonica carmina eius saepius explicata a professoribus esse, eclogas autem Vergilianas ad poesim bucolicam Polonorū saeculi XVI conformandam et excolendam plurimum valuisse. Dein clarum poetam Polonum M. Sarbievium memoravit, qui in tractatu sua, qui incipitur «De perfecta poesi» Vergilium Homero anteposuerat, vimque Vergilii in poesi

epica Polonorum saeculi XVII efformanda monstravit, addens non se aliter res habuisse illuminati aevi temporibus, cum C. Kozmian «Georgica Polona» componeret. Denique «romanticos» Polonus evocavit monstravitque poetas «romanticos», quos dicunt, non solum Homeri, sed etiam Vergilii admiratores fuisse, testimonio autem huius rei ipsum summum poetam Polonorum A. Mickiewicz, qui saepe Vergilii vestigia secutus esset, eumque ipsum «nosterum amicum Maronem» appellavisset.

Sessione Vergiliana peracta de Latinae linguae vi in vernaculis sermonibus constituendis agebatur. Boris Casacu, in studiorum Universitate Bucurestiensi professor de Latinitate linguae Daciromanae disseruit, linguam Dacoromanam non aliud esse, quam continuationem linguae Latinae in orientali parte imperii Romani ostendans, multisque exemplis eisque probabilibus linguam Dacoromanam cum in morthologia syntaxique tum in amplitudine verborum se originis Latinae esse demonstravit. Haralambius Mihaescu, in Instituto Europae meridionalis orientalisque professor de Latinitate Europae meridionalis dixit Eugenius Dobroiu, in studiorum Universitate Bucurestiensi docens, oratione sua docta utilique demonstravit, quid Petronius de Latini vulgaris sermonis vi sensisset, disserens praecipue de auctoris latini considerationibus ad linguae crescentis mutationes pertinentibus; Hos mirum non esse, dixit, quia Petronii temporibus ars grammatica Romae magno in honore esset et plurimum progrederetur, eadem aetate non solum mensurae sonorum, verum etiam qualitates litterarum distinquerentur; Petronium enim primum magnum putavisse vocales praeterquam longitudine, etiam apertura oris differre, intellexisseque eius generis esse has mutationes, quibus analogia subesset, immo etiam has novitates brevi perituras, si indoli linguae non convenissent.

Hac materia pertractata ad optimas methodos linguae Latinae docendae disputandos Conventus transiit. Primus Constantinus Dragulescu, in Instituto magistris scholarum altius instituendis professor, quibus rationibus, quibus instrumentis technicis docenda esset lingua Latina tractavit, ostendans maximi ad linguam Latinam docendam esset momenti consociationem usus novissimorum instrumentorum technicorum cum viis rationibusque docendi traditionalibus. P. Caillon, in magno Seminario

Sequanae Isaraeque doctor de lingua Latina pueros sex annorum docenda enarravit, quae institutio doctrina Montessoriana nititur, de maximo momento primorum vitae humanae annorum tractante. De methodo «Audio-visuali», de usu scilicet machinarum, cellularum lingaphonis instructarum, allisque similibus Madelain Bonjour, in studiorum Universitate Lugdunensi assistens narravit. Magna attentione oratio Ioannis Croiasille, in studiorum Universitate Augustometensi (Clermont-Ferran) professoris exaudita est, qui de usu picturae in docenda lingua Latina disseruit, ipse ope laternae magicae aliquot imagines «diascopicas» aut «diapositivas» quas dicunt monstravit, quibus res in lingua docenda tractatae optime illustrantur. Tabulae enim in parietibus Pompeiarum Herculaneique pictae ab ipsis Romanis ad linguam Latinam docendam nobis traditae esse videntur. Nam si eas ante discipulorum oculos ponas, eisdem coloribus quos antiqui videre potuerunt, vitam quasi integrum praebent, quam illi vixerunt. Ioannes Croiasille de triplici harum tabularum usu sodalibus narravit: primum omnium discipuli hoc modo melius vocabula relinquent memoria, quia ante se imagines illarum rerum vident, de quibus magister loquitur, dein scriptorum opera, poetarum praecipue, his imaginibus illustrari possunt, qua re Vergilius vel Ovidius vel Martialis melius intelleguntur; tertio gradu de illo communi spiritu vinculoque, quod inter picturam litterasque Latinas existit (quod homines aetatis nostrae «stylum» appellant) loqui magister potest: «Discipuli ergo imaginum ope de rebus primum vitae simplicissimis, tum de scriptorum operibus, denique de rebus quae ad humandum pertinent loqui discere incipiunt».

Post hunc Boleslaus Povsic, Boulingriniensis professor (in civitatibus Unitis Americae Septentrionalis) de conditionibus institutionis Latinae in civitate sua, de propria methodo linguae Latinae docendae, nempe de modis institutionis tantum lingua latina nullo vocabulo vernaculo interposito, dixit, tum de novis libris manualibus, de usu denique discorum sonantium. Ad finem huius sessionis Elisabeth Schumann, lectrix Lipsiensis aedium Teubneriorum editiones Latinas Graecasque iam paratas atque in proximum annum intentatas enumeravit.

Hac mea relatione perbrevi non omnium profecto orationum argumenta enarrare potui, cum permultae paginae

mihi deficiant, si omnia singillatim proferre velim. Quin etiam non omnes orationes huius Conventus aequem magni momenti erant, immo inter has nonnullae erant fere mediocres, nec maioris valoris scientifici. Interdum ipsa Latinitas (horribile dictu!) nimiaque stili Latini perpoliti cura, aemulationis veterum conatus, oratorem aliquantum impediverunt, nec semper ei permiserunt rem alicuius momenti proferre. Itaque in nonnullis commentationibus (absit a me, ut de omnibus hoc dicam) res tritiores atque iam per multos annos omnibus notae tractabantur. Denique ipsa varietas argumentorum, de quibus in Conventu agebatur, mea quidem sententia, quodam modo valorem scientificum Conventus diminuit. Mihi autem videtur huius generis conventus maioris momenti fore, plures melioresque fructus afferre posse, si ad unam tantum rem aut ad paucas operam intendeant.

Quae cum ita sint, Conventus Bucurestiensis multum ad linguam litterasque Latinas fovendas fecit, manifestissime ostendans, quam multi, eique doctissimi viri feminaeque in variis orbis terrarum regionibus Latinitati ferventissime studeant, quam multum rationes linguae docendae processerint, quo alacri, quo forti animo viri docti ad studia litterarum Latinarum provehenda parati sint.

Liceat mihi nunc paucis aliqua oblectamenta, a Conventus moderatoribus sodalibus comiter oblata, perstrin gere, eo magis, quod eius generis erant, quae «simil iucunda et idonea dicere vitae» viderentur. Primum omnium dicam de illa iucundissima ac suavissima ad Pontum Euxinum peregrinatione Constantiae, antiquissimi Dacoromaniae portus, cui olim Tomis nomen fuit, visendae causa. Hac in peregrinatione amplitudine effosionum, ceterorumque operum archeologicorum attonitus sum. Nam archeologi Dacoromani per hos ultimos decem annos plurima, eaque pulcherrima antiquitatis monumenta effoderunt, permutas res antiquas his in defosionibus invenierunt. Itaque Constantiae, in regione antiqui portus Romani reliquiae magni aedificii effossae sunt, satis magna pars pavimenti, pulcherrima mosaica instructi, amphorae, vasa fictilia, columnae, capitellae, scalae, muri, fornices, partes statuarum marmorearum, ancorae plurimae, multaque similia. Quae omnia testificantur Tomos Ovidii temporibus iam magnum atque celeberrimum portum fuisse.

Constantiae, in foro, quod nomen poetae fert, ante Ovidii statuam aeneam Nicolaus Barbu, Conventus Bucurestiensis clarissimus praeses, oratione commota Ovidium summis laudibus extulit et Societatem studiorum Ovidianam auctoritate a moderatoribus rei publicae socialis Dacoromanæ ei data sollemniter condidit conditamque publice proclamavit.

Deinde Tropaeum Troianum, in Adamclisi, sexaginta fere chiliometra a Tomis ad occidentem versus situm, immensum, ingensque monumentum, in vastissima planicie editiore erectum in memoriam victoriae Troiani a Decebalo, rege Dacorum a. 109 reportatae, visitavimus. Prope monumentum fragmenta statuarum permulta, omnes fere methopae caelatae, variae imagines Romanorum Dacorumque, episodia pugnae mira arte prebentes vitro protectae expositæ sunt. Omnes explicationes necessarias doctissime copiosissimeque lingua Francogallica sodalibus professor Radu Vulpe, archeologus Dacoromanus eminentis, præbuit.

Neque sunt silentio praetereunda spectacula, quae sodalibus præstita sunt; imprimis Plautina comoedia «Miles Gloriosus» a grege studentium Universitatis Heidelbergensis elegantissime lepidissimeque multis cum iocis saloque peracta. Omnes studentes optime partes suas egerunt, sed præcipuam movit admirationem ille, qui Sceledri servi partem egit. In spectaculo autem festivo, in Theatro Nationali habito, studentes sectionis classicae Universitatis Bucurestiensis fragmentum comoediae «Rudens», studiosae autem eiusdem sectionis-fabulam Erasmi Desireii «Senatulus muliercularum», partim ad Conventus conditiones felicissime congruentissime a gregis duce Michaele Nichita, in studiorum Universitate Bucurestensi docente, adaptatam maxima cum hilaritate atque alacritate egerunt, maximo applausu spectatorum omnium.

Nunc restat mihi, ut aliquando relationi meae, quam promisi fore per brevem neque promissioni meae steti, finem faciam, gratias quam maximas sodalibus Dacoromanis, imprimis professori clarissimo Nicolao Barbu, infatigabili amabilissimoque Conventui constituendo Consilii praesidi, professori Ciceroni Poghirc, docenti Lucia Vald, pro eximia horum omnium hospitalitate, affabilitateque quas nobis comiter præstiterant, optimeque ut omnia eveniret, curaverunt, agere.